

PETRI  
ÆRODII  
QUÆSITORIS  
ANDEGAVI RERVM  
AB OMNI ANTIQVITATE  
IVDICATARVM,  
PANDECTÆ.



*Des. de la  
Lyon*



PARISIIS,  
Apud MICHAËLEM SONNIVM, via Iacobæa,  
sub scuto Basiliensi.

M. D. LXXXVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



DO. HVRALTO CHE-  
VERNIO, COMITI, CAN-  
CELLARIO GALLIARVM, RE-  
CTORIQVE AVRELIANENSI,

P. Ærodius S.



I quid præstiterim scribendo (nobilissime CHEVERNI) certè debeo parenti. sed si quid in Republica: debeo tibi ac quondam socio tuo CHR. THVANO, amplissimo Præsidi. Quomodo igitur tot viris satisfacio: cõmemoratione beneficij. Atqui (inquies) iniqua est compensatio. nam verba à rebus & factis longissimè discrepant. Ita est sanè, si de operis locatione ageretur. Sed cùm de gratia ponèda, referendave: plus dat, qui meminit accepisse: quàm qui semel beneficiũ contulit. Memoria in dante, exprobratio est: in accipiente, foenus. Ad quid Diis aræ, pulvinaria, templa? Non, tã me hereulè vt satisfaciant votis, quàm vt ob benè merita ascripti in coelum, perpetuò audiant laudes, & pro momentaneo beneficio preces anniuersarias. Ergo plus tibi lucrosa est hæc nostra gratiarum actio, quàm mihi largitio, munificentivæ tuæ profectò altero tãto. Nam si huic libello sit Genius: pro eo munere quo nos hic voluisti adiri pro tribunali, pono tibi altare intra cancellos Principum (à quibus, quia illic assiduè moramini, vos, vt ait Casiodorus Senator, Cancellarios appellant) cui sit titulus, HVRALTO BENEFICO. Sic pro temporali beneficio, feres immortale: pro humanitate, *Sacrificium*. Ecquid rursus? nõne cõmemorationem hanc, vt sit maximè vsuraria, attamè serã, morosãque esse: meque ideò tibi minus soluere, quia tardissimè soluo, hoc est, post viceesimum annum? nã certè ingrati nulla est præscriptio. Sed neque hac parte vinces, Cancellarie illustrissime. Alia enim est ratio pecuniæ, alia literarum. perit illa, dilatione: hæc, contrã ditescunt.



P. ÆRODII, ADVOCATI, DE  
ORIGINE ET AVCTORITATE IUDICIO-  
RVM, LIBER SINGVLARIS.

Ad CHRISTOPHORVM THVANVM,  
Præsidem maximum.



**V**s ita sæpè diuiditur, vt pars que in rebus iudicatis  
& decretis magistratuum est, hanc perpetuò ultimo  
loco & ordine constituant. Et hæc partitio sanè ex  
iis rebus proficiscitur, quæ sponte & natura sua con-  
tingunt ab antecedentibus: vt cum dicimus Archite-  
cturam, Eloquentiam, Medicinam arte & vsu, ra-  
tiatione & fabrica contineri, aliâque id genus.  
Nam etsi vsus atque exercitatione postpositius dis-  
ciplina, videlicet, quia semel arte inuenta atque perfe-  
cta, iam Medicus, Orator atque Architectus, quod cu-  
piunt, minore negotio atque minore interuallo consequuntur, si prius discere instituat,  
quàm docere: audire, quàm erudire: in præceptis, quàm in actione versari: atamen  
Vsus ille docendi magister ita naturalit ac primo rerum omnium ordine Artē ante-  
cedit, vt Ars ipsa nihil aliud sit, quàm quod vsus ac crebra exercitatio pepererit, fone-  
rit. Itaque alterum naturâ, alterum positione, prius aut posterius est. Fortasse de Re-  
bus iudicatis par, idemque iudicium erat. Nam postquam Iura constitui placuit: *Et*,  
quod vnum erat ab initio, id partium enumeratione distinguere: necessariò accidit, vt  
Leges, Plebiscita, Senatusconsulta, Edicta, quasi quid perpetuum, priore loco: Res iu-  
dicatæ, vt quid de singulis, posteriore locarentur. Sed quicquid est cur Iuris illa definitio  
apta ac conueniens videri & haberi possit, equidem siue primordia rerum & antec-  
dentia, siue id ipsum de quo queritur, siue ex grauitate, maiestate & auctoritate rem  
cõsiderabimus: omnino Res iudicatæ, aut prima pars Iuris, aut sola, aut præcipua est.  
Cur enim nõ obseruabim⁹ in Iuris ciuilis tractatione, quod in vniuersi Iuris, persona-  
rum, rerumque diuisione fit: puta, vt dicimus, Ius aliud naturale, aliud humanum, a-  
liud ciuile esse: hominum, quosdam liberos esse, quosdam seruos: rerum, quædam com-  
munia, quædam singulorum: ita Ius ciuile esse, quod in rebus iudicatis, legibus, senatus-  
consultis, more, æquitate cõsistit? Nam vt vnumquodque illorum tempore & positio-  
ne antecedit, ita ordine & tractatione est. Porro ea ordinis prærogatiua hanc per se  
habet utilitatem, vt, qui sola locatione animaduertit, omnia prius communia fuisse  
quàm singulorum: vniuersitatis, quàm priuatorum: in contentione & comparatione  
eius quod melius, vtilius, æquiusve est, vt si de agro compascuo, & locis relictis, aut  
communibus agatur: manere in vsu publico, an singulis debeant assignari: priora pro-  
fecto posterioribus anteponeat, hoc est, publica priuatis, & propriis quæ cõmunia sunt.



# PETRI ÆRODII

QVAESITORIS ANDE-

GAVI, RERVM AB OMNI

ANTIQUITATE

iudicatarum,

LIBER PRIMVS.

DE IUSTITIA ET IVRE.

Tit. I.

*In rebus iudicatis Ius quoque consistere.*

CAP. I.



ONSTAT Ius ex his partibus (inquit Auctor ad Herennium) natura, lege, consuetudine, iudicato, æquo & bono, pacto. Sed & Cicero in Topicis, Ius sic etiam definit: Ius civile est quod in legibus, Senatusconsultis, rebus iudicatis, Iuris peritorum auctoritate, edictis magistratum, more, æquitate consistit.

CAP. II.

FABIVS sic: Ius omne continetur natura, vel cõstitutione: natura, quod sit secundum cuiusque rei dignitatem. Hæc sunt, pietas, fides, continentia, aliæque huiusmodi. Constitutio, est in lege, more, iudicato, pacto.

CAP. III.

QVARE Seuerus Imperator ita rescripsit: In ambiguitatibus quæ ex legibus proficiuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuò similiter iudicatarum auctoritatẽ, vim legum obtinere. Imò Cicero appositè, pro Cornelio Balbo, IUS IUDICATVM appellat, quod certius, probatiusque est, de quo, vt de ambiguo iure, sententia lata, pronunciata sit. Vobis de iudicato iure constituendum est, inquit: itaque nolite committere vt quicquam noui sentiatis.

CAP. IIII.

SED vt frustra sint leges, nisi sint magistratus: sic iura, nisi iudicia. Hinc Cicero, pro Sestio: Inter vitam perpolitam humanitate, & illam immanem,